JO. JAC. DILLENII

Germani, Soc. Ac. N. C.

METHODUS FUNGORUM.

1. Primus qui ſolidam Methodum in Fungis dedit J. J. Dillenius eſt, quidquid enim præſtitere Cluſius, Sterbeck & Rajus in ſyſtematicis vix ullius momenti erat.

2. Species plus quam 162 dedit in *Flora Giſſenſi*, quem numerum longe auxit in *Synopſi Angl.*

3. Fungos ſimul & ubique Muſcis adnexos conjunctim dedit Cl. Author vide pag. 579. totque nova una ſimul.

4. Genera quantum fieri potuit naturalia condidit, quæ dein male a quibuſdam Recentiorum in plures artificiales, ad nauſeam uſque, ſubdiviſa ſunt.

DILLENII *Cat. pl. Giſſ. Raj. Syn.* 3.

Clavis Fungorum Dillenii.

- FUNGI.
  - Pileo & Pediculo donati
    - Lamellati —— *Amanita*
    - non Lamellati
      - Porosi —— *Boletus*
      - Aculeati —— *Erinaceus*
      - Scrobiculati —— *Morchella*
  - Pileo & Pediculo destituti
    - Cauliferi —— *Fungoides*
    - non Cauliferi
      - Plani, horizontales *Agaricus*
      - Concavi —— *Peziza*
      - Globosi —— *Bovista*

1. AMANITA eſt fungi genus pileo & pediculo donatum, ſuperne modo planum, modo convexum, modo conicum; inferne lamellatum. Potior pars, quando primum prodeit, globoſa eſt, poſtea explanatur, præter conicas, non raro autem per vetuſtatem oræ ipſis ſurſum porriguntur, ut quaſi concavæ fiant.

Amanitæ eſculentæ Pradelli ——— ——— [lamellis rubris.
Amanitæ eſculentæ Kremlingæ. ——— ——— [lamell. albis.
Amanitæ noxiæ.

2. BOLETUS eſt fungi genus pileo & pediculo donatum, ſuperne modo planum, modo convexum. Inferne autem loco lamellarum (1) multis poris pertuſum eſt.

3. ERINACEUS eſt fungi genus pileo & pediculo donatum; pileus inferne lamellis (1) & poris (2) deſtituitur, harum autem loco multis aculeis linguæ & palati vitulini inſtar, inferne exornatus, Superne autem modo glaber, modo ſquamoſus. Petiolus nunc in centro, nunc in latere inſeritur.

4. MORCHELLA eſt fungi genus pileo & pediculo donatum, capitulum ejus in verum pileum, planum nempe, non explicatur, ubivis ſuperne ſcrobiculis excavatur, pliciſque reticulatis exornatur.

Morchella. { Boletus T.
Fungus poroſus CB.
Merulius Boerh. }

5. PHALLUS in pileum non explanatur, verum capitulum ejus penis figuram habet, quo ab aliis abunde diſtinguitur.

6. FUNGOIDES eſt fungi genus cauliferum quidem, ſed nec pileatum, nec capitatum, ſubſtantia uniformi gaudens.

Fungoides ramoſum arboreum.
Fungoides ramoſum terreſtre.
Fungoides non ramoſum terreſtre.
Fungoides non ramoſum arboreum.

7. AGARICUS eſt fungi genus de latere ex arboribus ſecundum horizontem creſcens figura ſæpe plana, difformi, durum, pileo & petiolo deſtitutum.

Agaricus lamellatus terreſtris.
Agaricus poroſus arboreus.
Agaricus villoſus.
Agaricus lævis.
Agaricus tuberculoſus.

8. PEZIZA pediculo ut plurimum, pileo v. ſemper caret, homogenea, membranacea, concava eſt.

Pezizæ membranaceæ & tenuiores.
Pezizæ duriores, calyciformes, ſeminiferæ putatæ.

9. BOVISTA pediculo ut plurimum deſtituitur & pilei loco globum gerit, qui per maturitatem aperitur & pulverem ſpargit.

10. TUBERUM eſt globoſum, ſubſtantia uniformi conſtans, denſum, compactum, eſculentum & locum natalem intra terram habet.

PETRI